



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 16. Præcipui edicti Nannetensis articuli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.
A.C. 1598.

§. XVI.

*Præcipui edicti Nannetensis
articuli.*

Mem. de Sul-
li tom. I. cap.
39. Hist. de
l'Edit. de
Nantes l. 8.

Porro hoc edictum præter quinquaginta sex secretos articulos complectebatur nonaginta, & unum capita, quarum præcipua hæc erant. I. Hugonotum in universo Regno, extra urbes tamen, conscientiæ libertas indulgetur, non tamen publicus sectæ suæ usus, excipiuntur tamen omnes civitates, quæ Hugonottæ urbes refugii appellantur. II. Publicum Religionis Catholicæ exercitium in omnibus locis, ubi fuit abolitum, restauretur. III. Hugonottæ ad omnia officia, & dignitates idonei conferantur, eorumque non minus, ac Catholicorum proles in Collegiis, atque Universitatibus libere literis vacare possint, illorumque pauperes, & infirmi in Nosocomiis recipiantur. IV. In variis Regni locis Curiaë partim ex Catholicis, partim ex Calvinistis erigantur: Hugonottæ tamen clandestina tam intra, quam extra Regnum consilia haud ultra foveant, omnesque conventus suos dissolvant, nec novos instituant, exceptis iis, quos ad illorum preces habere permittentur, in quibus tamen inermes compareant. Hoc articulo, qui octogimus secundus erat, concessio nuper a regis

regiis Deputatis facta restringebatur. Sæcul. XVI.
A.C. 1598.
 V. Hugonottæ suæ hæresis libros præterquam in locis, ubi liber sectæ suæ usus viget, nec typis edant, ne publice vænum exponant, illi autem libri edendi a regiis Ministris, & Theologis recognoscantur. Hi erant præcipui hujus Edicti articuli, reliqui vero potissimum iustitiæ administrationem concernebant,

§. XVII.

Hugonottarum Legatio ad Regem decreta.

His ita sancitis Calvinistarum Deputati Nanneto ovantes profecti edictum ad Castrum-Eraldi deferebant, unacum bino Regis diplomate, quorum primo Rex spurix Reformationis Sectatoribus, ut urbes, & loca hucusque occupata per octo annos retinere possent, indulgebat, eisque centum octoginta aureorum millia quotannis pro alendis urbium præsidariis suppeditare pollicebatur: altero autem diplomate idem Rex annue pro Præconum sustentatione quadraginta quinque aureorum millia spondebat, ea tamen lege, ut decimas catholicis Parochis, ceterisque, quibus decimas percipiendi ius competit, solvant. Recepto hoc edicto, & utroque diplomate Hugonottæ Castri-Eraldi congregati decernebant, ut altera die pro tam luculento bene-

Daniel l. 6.